Q.° D. B. V.

QUID

IN SOLO PACATO LICEAT

BELLIGERANTI

CONTRA HOSTES,

ad Hugon. Grot. de J. B. P. 2. 2.

10. lib. 3. 17. 1.

Deo bene volente,

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

In Inclyta Argentoratenſium Academia,

PRÆSIDE

JOHANNE JOACHIMO ZENTGRAVIO, D.

Phil. Pract. P. P. ordinario,

Defendet

JOHANNES GERARDUS von Stöffen/
Argentinenſis.

D. 30. Menſis Octobr. An. M DC XCIII.

ARGENTORATI,

Literis GEORGII ANDREÆ DOLHOPFF.

DE
EO QUOD LICEAT BELLIGERANTI IN SOLO PACATO.

§. I.

NON male bellum incendii indolem habere dicitur, cum ob alias, tum ob hanc cauſam, quod, ſicut incendium proxima quæque depaſcens, maximam infert cladem, ita & bellum haud raro æque vicino atque hoſti pertimeſcendum ſit, non ad hunc tantum, ſed & ad pacatum ejus tranſeuntibus malis; non abſque ancipiti cauſæ diſcuſſione, viciniquè infirmioris cura. *Quis enim domum vicini ſui ardere cernit, & non efficere omnibus modis nititur, ne ipſe incendio concremetur?* merito quærit *Salvianus* (a). Quid juris hic ſit, & quid belligeranti adverſus pacatum liceat, dignum eſt quod diſquiratur. Conabimur id, Deo bene volente, ſequentibus præſtare Theſibus.

(a) 6. de Gubern. Dei p. m. 214.

§. 2. De *belligerante* cum ſermo nobis eſt, illum potiſſimum intelligimus, qui bellum Gentium jure

juſtum gerit; vel ſi non ſolenne, alio tamen nomine neceſſarium & juſtum, uti Princeps neceſſariis & pœnalibus armis rebelles ſubditos ad officium reducere invitus cogitur. Rebellium enim ut agamus cauſam, odio illorum, quo ſunt apud bonos, prohibemur. Latrones vero & prædones quod attinet, etſi ex poſitivæ legis definition. *hoſtes* dici non poſſint, armisque neceſſariis in ordinem redactos nonnunquam conſtet, uti Romanis contra Viriatum, *latronum ducem Vellejo* (b) dictum, diverſis ducibus varia fortuna; & adverſus piratas, cum ſupro, ut *Florus* (c) loquitur, *fœdere generis humani*, furioſi latrones *belli more*, rurſus notante *Vellejo Paterculo*, (d) *non latrociniorum, orbem claſſibus, non expeditionibus furtivis terrerent*, Pompeio duce arma capienda fuerunt: Attamen cum belli jus ex gentium jure, quod ad illos non pertinet, non habent, belligerantium quoque nomine intelligi non debent, nec ad effectus belli, ejusque juris, iſtos proprios, qui inter populos locum habent (e), provocare poſſunt.

§. 3. Vox *licet*, cum explicante *Grotio* (f), *Pufendorfio* (g), diverſas ex uſu ſermonis admittat ſignificationes, in præſenti non de eo dicitur, quod cum lege poſitiva vel negative ſit permiſſum, vel etiam turpiter contra naturalia jura conceſſum apud homines pœnæ non ſubjacet, uti *B. Zieglerus* (h), *ſi jure civili lupanaria, concubinatus, quæſtum meretricium, cædem uxoris in adulterio deprehenſæ, & ejusmodi alia impune haberi notavit.* Rectius hic *Claudianus* (i): *Nec tibi quid liceat, ſed quid feciſſe decebit, occurrat, mentemque domet, reſpectus honeſti.* Nimirum

(b) *l.* 2. *c.* 1.

(c) *l.* 3. *c.* 6.

(d) *l.* 2. *c.* 31.

(e) *Grot. I. B. P.* III. 3. 1.

(f) *I. B. P.* III. 4. 2.

(g) *I. N. G.* I. 7. 1.

(h) *Not. in Grot. I. B.* 1. 1. 17. *p.* 65.

(i) *Ad Imp. Honor.*

mirum

mirum, ut rectè *Seneca* (k), *quam anguſta erit innocentia ad legem bonum eſſe? Quanto latius officiorum patet, quam juris regula? Quam multa pietas, humanitas, liberalitas, juſtitia exigunt; quæ omnia extra publicas tabulas ſunt?* Hujus generis *licita* cum ſunt inhoneſta, debent quia turpia vitari. Cum vero etiam *licere* aliquid dicatur, quod ſub æſtimatione juſti rectique fieri poſſit: juſti, inquam, ſive, ut *Grotius* (l) diſtinguit, *ſenſu ajente ſive negante* tale ſit, adeoque *naturæ ſocietatis ratione utentium non repugnet*: hoc ſenſu disquiremus, quid ſalvo pudore, ut alias loquuntur (m), ſub æſtimatione ſc. æqui & boni, juſti & recti, belligeranti in ſolo pacato adverſus hoſtem conceſſum ſit.

(k) 2. de ira c. 27.

(l) I. B. P. I. 1. 3.

(m) Grot. I. B. III. 10. 1.

§. 4. *Pacati* denique vocabulum quod attinet, illo notari *amicos medios*, uti *Livio* (n) alias appellantur, qui inter aliorum bella quieſcentes, & neutri parti ſe conjungentes, *ſpectatores belli* eſſe malunt, uti vocantur Archidamo, Ætolorum legato, apud *Livium* (o), res ipſa, & formulæ hujus uſus bonis ſcriptoribus receptus docet. Conſtat alias pacatos *Ciceroni* (p) atque *Iulio Cæſari* (q) dici *tranquillos*, & qui aliis bello occupatis quieſcunt. Verum quamvis, *B. Bœclero* (r) monente, *pacati populi latius dicantur, quicunque bello ſunt impermixti, etiam longiſſimis disjuncti intervallis; medii autem, quos vel ſitus periculis belli admovere videtur, vel poſtulata bellantium de ſocietate interpellarunt, vel fœdus cum bellantibus, de non jungendis armis initum, quiete donavit: Pacatorum tamen vocabulo* nunc *medios intelligi ſignarique, nihil prohibet.* Nam & medii id-

(n) l. 35.

(o) l. c.

(p) 1. de Orat. p. 87.

(q) Com. l. 7. B. G. c. 6.

(r) Differt. ad Grot. V. p. 215.

eo quod extra bellum poſiti, ſive ex pacto, ſive citra pactum ſic ſe gerant, quietem præſtant, rectè dicuntur pacati, illorumque *ſolum* audit *pacatum*.

§. 5. De *ſolo* vero quando ſermo eſt, integram pacati ſtatus regionem & terram intelligimus, non excluſis aquis, fluminibus ſeu maribus, lacubus & portubus. Nam & quid in his belligerantibus adverſus hoſtes liceat, ſæpe inter gentes in diſquiſitionem venit. Ita flagrante bello inter Batavos & Anglos An. 1665. menſe Auguſto Leopoldus Cæſar datis ad Ordines Belgii confœderati literis, erſucht dieſelben/ daß ſie allen ihren Commiſſahrern und See-Officirern anbefehlen wolten/ daß dieſelben nicht ſo die freyen Commercien auff den Ströhmen in Teutſchland beunruhigen/oder die Neutralität brechen möchten/ thun und vornehmen ſolten. *Hoc illi ſe facturos* promiſerunt, *modo idem Angliæ Rex eſſet facturus*: Qui & datis ad Cæſarem literis die 22 Maii, An. 1666. id ſe facturum fidem dedit. Cum vero inſequente menſe Septembri, Batavorum Navarchus Brederodius in portu Hamburgenſium Anglorum, & aliorum naves mercatorias incendiſſet partim, partim captas abduxiſſet, Friquetus Cæſaris apud Belgas Confœderatos iſto tempore Orator, exhibito libello memoriali queſtus eſt de Brederodio, daß er mit ſolcher unbillichen invaſion dem Recht aller Völcker/ und der alten Neutralität/ und guten Correſpondence zuwider gehandelt hätte (r). Similiter quæritur de mari, quatenus eſt juri quietorum atque imperio ſubjectum. Cum naves Hiſpanorũ ad Deberniam ſtantes aggreſſi eſſent

(r) *Diar. Europ. P. XVI. p. 159.*

eſſent Belgæ, Doberniensſes, *dum mari pugnabatur, globos ex arce jaciebant* in aggreſſores, *Grotio* (t) explicatum, fatentibus apud *Meteranum* (u) Ordinibus, *ſuos juſto propius ad Doberniam appropinquantes, modum exceſſiſſe*. Producit etiam Edictum Jacobi I. Magnæ Britanniæ Regis *Seldenus* (x), quo ſancivit *in Oris Anglicanis limites, intra quos Hiſpanis & Belgis, cum mutuis ſeinvicem & frequentiſſimis infeſtarent deprædationibus, ita tutam fore ſtationem, tutum tranſitum, etiam & utrosque ab ipſo ita protectum iri voluit, ut neque Hiſpanis in Belgas fœderatos, neque his in illos, alysve cujuscunque gentis in alios, intra hoſce vim aliquam impune exercere liceret*. Diverſa vero ratione, cum Trompius claſſis Hollandicæ Præfectus in Dunis Britannicis An. 1639. claſſem Hiſpanorum Oquendæ deleret, otioſum, ſpectatorem Britannus egit (y). *Quin & hoſtilium navium continuam perſecutionem & in eas excurſionem in alieno freto vel portu, excuſandam* cum aliis cenſere videtur *Loccenius* (z), *ſi ſc. periculum ſit in mora*.

(t) *Hiſtor. l.* 14.

(u) *Hiſtor. Belg. l.* 25 *f. m* 522.

(x) *Mar. Clauſ. l.* 2. *c.* 22. *p.* 400. ſqq.

(y) *Baieus Elench. mot. in Angl. P.* II. *p.* 82.

(z) *Jur. Mar. l.* 9. 10.

§. 6. Cæterum diſtinctæ hic non ſunt confundendæ, ſed ab inſtituto removendæ quæſtiones. Aliud nimirum eſt, quid liceat in ſolo pacato ex pacto inter belligerantem & quieſcentem inito; & quid liceat citra pactum ſpeciale, ex naturæ & gentium jure. Illud ex tabulis conventionis patet, & variat. Exemplo eſt *Inſtrumentum pacis Neomagenſis Cæſareo Gallicæ* (a), quo Regi Chriſtianiſſimo bellum ulterius in Germania continuanti, in ſolo pacato aliquot loca præſidiis firmare, ſub certo pacto

(a) *Art.* 26.

con

conceſſum fuit. Poſterior vero quæſtio rurſus intelligi poteſt vel ſic, quid ordinarie in terris & regionibus quietorum liceat; vel quid liceat ex ratione belli, & ejus peculiari & ſingulari habitu, urgente ſic neceſſitate. Non minus aliud eſt quærere, quid bellum gerenti liceat in res & ſolum pacati; aliud quid in hoſtes, in ſolo pacato loca ſuis præſidiis tenentes, aliud quid hoſtibus adverſus ſe invicem in medio loco conceſſum ſit, ſub juſti rectique æſtimatione. Denique nec confundenda ſunt jura pacati, cum juribus bellantis in ſolum, & in ſolo pacati.

§. 7. Habet ſane pacatus, ſi pari cum belligerantibus ſummique imperii jure gaudet, & hoc jus, ut quiete & tranquillitate, in qua ſe & ſuum ſtatum conſervare ſtudet, frui poſſit. Qui enim rerum ſuarum arbiter, ſuas metiendi utilitates jus habet, & illarum intuitu inter bellantes quieſcere mavult, jure ab illis cogi non poteſt, ut partibus accedat. Repugnat hoc paritati & æqualitati gentium liberarum. Laudantur etiam à *Tacito* (b) Chauci, populus inter Germanos nobiliſſimus, quod *magnitudinem ſuam maluerint juſtitia* potius, quam armis *tueri, ſine cupiditate, ſine impotentia, quieti ſecretique.* Flagrante inter Philippum Macedoniæ Regem & Romanos bello, & hi & iſte Achæos, ut ſecum ſtarent, permovere quærebant; Macedo licet tandem *ſe contentum eſſe* dixerit, *ſi armis non intereſſent*, docente Prætore Ariſtæno apud *Livium* (c), *aut accipiendam, aut aſpernandam genti Romanam ſocietatem eſſe;* & proinde quieti inter belligerantes nullum futurum locum. Quod vero Ebræorum decreto,

(b) Germ. c. 35. 4.

(c) l. 32.

creto, florente adhuc Theocratia, Jabeſitæ deleti fuerint (d), quod cæteris bellum Benjamitis inferentibus, contra Reipublicæ placitum, ceu medii quieverint, juſta fuit vindicta, quod in cauſa juſta & communi, contra fidem Reipublicæ debitam, invita civitate abfuiſſent: Quemadmodum & alias qui ſuperiorem agnoſcit, citra ejus conſenſum, exorto bello quieſcendi, vel jura quietis & medii cum hoſte paciſcendi facultatem ordinarie non habet, prout etiam in LL. Germanicis (e) ſancitum conſtat. Exiſtimat tamen *Textor* (f), certo caſu *de Neutralitate paciſci licere, intuitu particularis neceſſitatis.* Nimirum cum *ſæpiuscule lenta nimis ſint publica auxilia, incerta, vel prope deſperata, ex jure gentium non ita illimitate rejici poſſe* putat *particulares hujusmodi pacificationum vel neutralitatis tractatus*, ſui ſc. conſervandi cauſa; præſtare enim illud, *quam armis ad deditionem compelli, & fieri hoſtilis potentiæ acceſſionem*: Notatque, ſic etiam imminentibus Suecis, cenſuiſſe inferioris Saxoniæ Ordines literis ad Collegium Electorale d. 22. Febr. Ann. 1639. datis, apud *Londorpium* (g): Quam & nos probamus ſententiam. Quando vero idem *compelli aliquem poſſe* ſtatuit, *ut à neutralitate diſcedat, cogique, ut ſe vel hoſtem declaret, vel ſocium*, nos cum *B. Bæclero* (h) exiſtimamus, *demtis pactionis & fidei vinculis, armorum ſocietatem exigentibus, jure naturæ & gentium liberum eſſe cuique debere, armis aliorum abſtinere, & inter diſſidia externorum quieſcere*; cum in aliorum gratiam de ſua ſalute periclitari nemo teneatur.

(d) *Jud.* 21. 8. *ſqq.*

(e) *Receſſ. Imper. de Ann.* 1641.

(f) *Synops. Jur. gent. c.* 26. *n.* 7. *ſqq.*

(g) *Act. Publ. P. IV. l.* 3. *f.* 699.

(h) *Diſſert. Grot. V. p.* 191.

§. 8. Pacatum itaque uti vi compellere non

licet bellum gerenti, ut partes ſequatur, ita quamdiu manet extra bellum poſitus, in quiete quam elegit, turbari ex propoſito non debet; & cum, monente *Grotio*(i), in *eum nullum jus bellicum* detur, non ſolum non dominio, atque proprietate, ſed nec libero rerum ſuarum uſu, atque de iisdem diſponendi jure, actualique diſpoſitione, per arma alterius citra reatum injuſtitiæ privabitur. Par parem, quem quiete & pacifice ſecum vivere pati tenetur, à quo non læſus fuit, nullaque affectus injuria, in libero & non impedito rerum ſuarum moderamine pro arbitrio exercendo relinquere debet. Inter armatum & ejusmodi pacatum, cum pacis non belli jura intercedant, ſecundum prima juſtitiæ officia, quibus vita ſocialis, quæ non niſi juſta eſſe poteſt, continetur, ille hunc non ulla in re, & ſic nec in libero rerum ſuarum uſu lædere, ſed eidem ſuum tribuere debet.

(i) III J.B.P.17.1.

§.9. Accedit quod ſit contra finem diviſionis rerũ, & diſtinctionis dominiorum, à natura intentæ, imo præceptæ. Ideo enim diviſio terrarum & rerum jam inter filios Adami atq; Noachi actu obtinuit, & inſtituta fuit, nulla unquam ejusmodi communione primæva, qualis Scholaſticis placuit, inter mortales exiſtente, quod ſine ea mortalium & familiarum conſociatio tranquilla, pacata atq; quieta eſſe non potuerit: Ne de naturali inclinatione, qua ad rem aliquam ceu propriam habendam ferimur, quid dicam; quæ ſi regulis juſtitiæ atque liberalitatis non repugnat, verti vitio jure non poteſt. Sic enim *Ariſtoteles*(k): Ἔτι δὲ καὶ πρὸς ἡδονὴν ἀμύθητον ὅσον διαφέρει τὸ νομίζειν ἴδιόν τι

(k) 2. Pol. 3. al. 5.

τι

γαρ ἐ ματην τίω προς ἀυ]ον αυ]ο ἐχει φιλίαν ἑκας☉-, ἀλλ' ἐςι τȣτο φυσικον, *eſt inenarrabile quantum interſit ad voluptatem, conſiderare aliquid eſſe proprium ſui: non enim fruſtra quisque ad ſeipſum amicitiam habet, eſt vero id naturale.* Appetitus ſane quo plures ad eandem rem habendam, vel ejusdem uſum aguntur, pari ut ſibi videntur jure, quolibet ſuum jus urgente, inter pares viribus non niſi Martem arbitrum admittere mavult. Cogitatur tum, ut Galli apud *Livium* (*l*), *jus in armis ferri, & omnia fortium virorum eſſe.* Pauci enim *putant*, ut laudatur hoc nomine à *Cicerone* (*m*) Cæcina, *conſiderati hominis eſſe, qua de re jure decertari oporteret, armis non contendere: & hoc conſtantis, qui cum vi & armis certare noluiſſet, cum jure judicioque ſuperare.* Obicem huic ferociæ poſuit ex dominiorum diſtinctione, & rerum diviſione orta proprietas, non niſi apud illos inanem, qui cum pudore juſtitiam excuſſerunt. Hoc enim qui non fecit, à re, quam alienam eſſe cognovit, abſtinet. Si vero non omnibus tanquam ſuis mortales uti jus naturæ vult, & in hunc finem rerum diviſionem præcepit, non licere in res pacati effectum dominii minimum, invito legitimo domino, exercere, per ſe ſequitur.

(*l*) *l. 5.*

(*m*) *Orat. pro Cæc. ſub init.*

§. 10. Similiter quod perfecti juris tantum effectus eſt, non debet ceu talis tribui juri imperfecto, ſeu illi, qui jure ad rem aliquam, ejusque uſum poſtulandum, imperfecto tantum gaudet; cum, quod non datur in cauſa, etiam non dari poſſit in effectu. Ergo ad quod faciendum, & ad quam rem quis jus non habet perfectum, illi etiam iſta re uti eo modo

B 2 invito

invito rei domino non licet, qui iſti tantum compe-tit, qui facultatem agendi perfectam habet, vel ideo quod ſit rei dominus. Jam vero uti re aliqua ad ſuam promovendam utilitatem, vel in ſuos eandem convertere uſus, fruſtra id prohibente proprietario, perfecti tantum juris eſt, quod ratione proin territorii ſui tantum pacatus, non ratione ejusdem belligerans habet. Non etiam ullam rationem juſtitiæ particularis allegabit bellans, qui contra locum pacatum vel jus tranſitus, vel occupandi locum aliquem in eodem prætendens, hoc facit belli tempore, niſi prius pacto aliquo, ſeu tacito, ſeu expreſſo, id acquiſiverit. *Oritur* enim, uti loquitur *Pufendorfius* (n) *jus perfectum vel ſingulis ex pacto (tacito, aut expreſſo) cum ſocietate aliqua inito hoc fine, ut ipſius membra fiant; vel ſocietati ex pacto eodem cum ſingulis, ut eos ſibi membra adjungat: vel oritur denique ex pactis quorumlibet cum quibuslibet circa res & actiones in commercium venientes.* Verum ſupra jam removim⁹ quæſtionem, quid bellum gerenti ex pacto liceat in ſolo pacato? Belli vero jus quod attinet, valide ad illud à bellante contra quietum & medium non provocabitur, cum adverſus hoſtes tantum illa concedantur, quæ illo jure licere perhibentur, non adverſus medium, qui in libero & non turbato jurium ſuorum exercitio, & rerum uſu innoxio, & à ſtudiis partium libero relinqui debet.

(n) l. N. G. l. 7. 9.

11. Patet hinc, quid habendum ſit de tranſitu exercitus, & jure tranſeundi cum exercitu per ſolum pacatum. Quæſtio hæc adhuc juris Gentium controverſi eſt, antiquiſſimæ licet diſceptationis.

Ebræum

Ebræum ab Idumæo tranſitum pacatum & innoxium petiiſſe, denegatumque non armis aperuiſſe, ſed flexo itinere agmen moviſſe, Moſaica docet hiſtoria *(o)*. Emoræo vero eundem deneganti bellum quod intulerit non ex gentium jure, ad quod ceu normam iſta Ebræorum bella ordinariam examinari non debere, ſatis notum eſt, & alibi docetur, ſed ex jure & rationibus Theocraticis, ſicut cætera quæ his populis divinitus internecioni & excidio deſtinatis acciderunt, diſcutiendum eſt; & proin ceu exemplum, quod ordinarie ſequaris, allegari non debet. *Grotius* (p), *Albericus Gentilis* (q), & alii, contendunt, eos *qui quod ſuum eſt juſto bello petunt*, denegatum tranſitum innoxium per ſolum pacatum armis *poſſe vindicare*. Probabilem etiam hanc ſententiam facit diſciplina *B. Auguſtini*, qui *innoxium tranſitum jure humanæ ſocietatis æquiſſimo patere debere*, monuit: Qui tamen ſi ejus verba rectè perpendantur, id non probat, ad quod probandum adfertur. Diſſentiunt autem *Strauchius* (r), *Zouchæus* (s) probans Venetorum factum, tranſitum denegantium Maximil. I. qui cum exercitu Romam ire petierat, ad Imperii coronam accipiendam: *Zieglerus* (t), *Pufendorfius* (u). Nec ipſa praxis gentium certi quid, quo nitaris, ſuppeditat, prævalente meliori judicio haud raro ratione belli aut ſtatus. Conſtat ſane eandem gentem tranſitum poſtulaſſe, non ſine ſtrategemate Politico facta provocatione ad gentium jus denegatumque vi vindicaſſe, aut ſe vindicaturam eſſe, minatam fuiſſe; & viciſſim à ſe poſtulatum denegaſſe. *Innoxium tranſitum*, dixit Guſtav. Adolphus Suecorum Rex ad

(o) *Num.* 20.

(p) *J. B. P. II.* 2. 13.

(q) *J. B. I.* 19. *p.* 140.

(r) *Diſſert. Acad. de Imper. Mar. c.* 8. *n.* 2.

(s) *Jur. Fec. P. II. ſ.* 5. *q.* 8.

(t) *Not. in Grot. J. B. P. II.* 2. 13.

(u) *J. N. G.* 3. 3. 5.

Pomerani Principis Legatos, tranſitum deprecantes ann. 1630. ſcriptore *Chemnizio* (x), *apud omnes gentes ſemper fuiſſe liberum: ejusve denegationem divino humanoque jure, juſtiſſimam belli cauſam haberi.* Numerante contra ea Carolo Guſtavo inter cauſas belli Polonici, à Suecis an. 1655. Sarmatis illati juſtificas, Botio & Crockovio permiſſos adverſus ſuos tranſitus, ceu *Manifeſtum Suecicum* teſtatur (y); *a parte Polona licet copias iſtas averti potuiſſe* negaverit *Niſephorus Nicoymius* (z). Non etiam gentium pacta, niſi omnium quarum intereſt conſenſu ineuntur, rem controverſam expeditam reddunt. Non dubitavit ſane idem Guſtavus Adolphus Pomeranis, quo tranſitum à Rege poſtulatum non ſolum deprecarentur, ſed & Arnhemio ad Polonos cum copiis contendenti conceſſum excuſarent, ad pacta cum Polonis inita, & LL. Imperii Germanici provocantibus, reponere, *nullas conſtitutiones, aut pacta ita interpretanda venire, ut contra jus gentium, & in immeritum tertij præjudicium extendantur.* Aſt, qui in ſequentibus temporibus feliciter apud Suecos ſceptra tenuit, Carol. Guſtavus, *pacto Feudali* (a) cum Electore Brandenburgico inito, ann. 1656. non ſolum *liberum per Pruſſiam tranſitum*, hoſtibus denegatum, obtinuit, fœdere mox Marienburgico (b) jure hoc ad alias Electoris terras extenſo: Sed etiam pacto Toſtrupenſi (c), & tractatu mox Roſchildenſi (d) an. 1658. cum Daniæ Rege ita convenit, ut *utraq; pars, quantum fieri poſſit, impedire* teneretur, *ne hoſtilis aliqua claſſis bellica per fretum Oreſundicum aut Balthicum in ipſum mare Balthicum penetret & irrumpat;* alterna-

(x) *Bell. Suec. Germ. Vol. I. f. 41.*
(y) *ap. Londorp. t. 7. f. 1001.*
(z) *Reſponſ. ad prælim. cauſ. bell. Suec.*
(a) *Art. 7. & 9.*
(b) *Addit. ad Fœd. Marienb. art. 1. f. 99.*
(c) *Art. 4.*
(d) *Art. 3.*

alterutcr licet tantum horum Regum bello petere-
tur. Notatque *Autor* (*e*) *expoſitionis cauſarum, quibus* (e) P.m.12.
S. R. M. Sueciæ bellum à Rege, regnoque Daniæ ſibi illatum, etiam poſt Pacem Roſchildenſem initam, continuare coacta fuit, quod ita paciſcendo *Sueciæ Rex, ſi quando in hoſtes ſuos arma ſtringeret, à tergo ſibi proſpicere, & mare verſus ſecuritatem præſtare voluerit; nec concedere, ut alij ſtatus* claſſe bellicas in mare Balthicum mittendo, uti ann. 1656. Batavi fecerant, *in ingens præjudicium & damnum regnorum Borealium, jus ſibi aliquod præſcriberent.* Aſt cum anno 1678. Boruſſiæ Brandenburgicæ, ad diſtrahenda Electoris arma in Pomerania victricia, bellum inferre conſtituiſſent, invitis gentibus interjectis, Polonis inprimis, eo penetrarunt; ſupremus militiæ Lithuanicæ Præfectus Patzius licet copias ſuas oppoſuiſſet, armis, nec ſine mutua cæde, Succis viam aperientibus (*f*). Similia in aliis moratiorum Gentium (f) Diar. Europ Part.39 p.249.
monumentis leguntur. Nec deſunt in antiquitate. Corinthii certe, *Plutarcho* (*g*) memorante, ægre tu- (g) t. I. opp. Cim. f.489.
lerunt, Cimonem Athenienſem, πρὶν ἐντυχεῖν τοῖς πολίταις, *antequam cives compellaſſet*, cum exercitu ſuos eſſe fines ingreſſum, animo quanquã tranſeundi; licet ipſi, quod iisdem viciſſim Cimon objecit, *armati irrupiſſent, Cleoneorum & Megarenſium non pulſatis foribus, ſed refractis*, ἀξιοῦντες ἀνεῳχθαι πάντα τοῖς μείζον δυναμένοις, *cenſentes omnia patere potentioribus*. Ne de Ebræi quid dicam, quorum Rex Joſias, pius & moderatus Princeps Ægyptiorum regi Necho tranſitum negavit (*h*), innoxium licet ſe talem præſtiturum hic (h) 2. Paralip. 35.20./99.
promiſerit; quod cum Aſſyriorum rege, quem Ægy-
ptius

ptius petierat, bene ipſi conveniret. Suæ tamen ſecuritati cum conſulant, qui alios ſic obligant, contingit hinc, ut victor pacem concedendo victis hanc haud raro dicat legem, ne *quem exercitum, qui adverſus ſe, & ſocios amicosque ſuos ducetur, per fines ſuos & urbes tranſire ſinant*, uti formula pacis à Romanis Ætolis datæ legitur apud *Polybium* (i). Conceſſum etiam tranſitum, ægre talem ferentibus illis contra quos conceſſus fuerat, excuſarunt ſæpius concedentes, non directe, gentium jus prætendentes, ceu tali debitum, ſed vim majorem, cui prudenter cedendum fuiſſet, urgentes. Ita Sibylla, Clivenſis Ducis ſoror, datis ad Mauritium Naſſovium literis apud *Thuanum* (k), *datum per Clivenſem ditionem Hiſpanis*, duce Mendoza, *liberum tranſitum excuſat, rogatque ne propterea fratri ſuccenſeat: Nam violentiæ parendum fuiſſe.* Non minus quoque ex metu ejus, contra quem petebatur, tranſitus fuit negatus, quo caſu dato, ſi metus juſtus eſt, conceſſus talis tranſitus deſinit eſſe rex innoxiæ utilitatis. Nec licet tum cum *Grotio* (l) excipere; *jus meum metu tuo non tollitur.* Cum enim cum alterius jure pari paſſu jus metuentis ambulare debet, manet in ejusmodi caſu iſtius efficacia in pendenti. Habuerunt denique conceſſiones iſtæ, monente etiam *Alberico Gentil.* (m) *cauſas ſingulares ex religionis communione: & ex hoſte communi, contra quem ibatur.* Unde in Paſſagiis ſuperiorum temporum male etiam fuit acceptum, ſi ad ſacrum hoc bellum ituris, per aliorum ditiones tranſitus a territorii domino eſſet denegatus. Nomine hoc male apud *Bonſinium* (n) audivit Colomannus

(i) *Excerpt. Leg.* n. 28.

(k) l. 121 f. 813.

(l) J.B.P II.2.13.

(m) de J. B. l. 1. c. 19.

mannus Ungariæ Rex, *hoſpitio tranſituque* prohibens Aſiam petentes Chriſtianos. (n) Dec. II. l. 5. f. 224.

§. 12. In re hac, praxi gentium moratiorum valde controverſa, dico, datam de tranſitu belligerantis per ſolum pacatum quæſtionem ventilari poſſe vel ex capite juris, vel ex capite conſilii. Disquirendo quid hic detur juris? bellanti dico competere jus poſtulandi tranſitus per ſolum pacatum; verum hoc jus non niſi imperfectum eſt, ceditque juribus pacati perfectis, ex dominio ejusdem in rem, ſolum nimirum pacatum, fluentibus, qui ſolus iſtam rem *ſuam* appellare poteſt. Unde denegatus vi & armis, niſi ex animo vere hoſtili id fiat, vindicari ſtatim non debet. Utile vero quod attinet, in eo prudenter, non quid nunc præciſe, ſed inprimis quid in futurũ, variante belli fortuna, rationabiliter prodeſſe, vel obeſſe poſſit, ſpectandum. Et ſicut pacatus non ex quadam inhumanitate, multo minus hoſtili affectu, tranſitum, qui innoxius eſſe apparet, denegare debet; ita nec belligerans inhumane pacatum, ad talem tranſitum concedendum adigendo, manifeſtis, ut ſæpe fit, atque factum eſt, objicere debet periculis.

§. 13. Minus difficultatis habet quæſtio, an bellum gerenti liceat à ſolo pacato petere cibaria, pulverem pyrium, & alias res ad bellum utiles & neceſſarias, non ſolum non ſoluto, ſed etiam ſoluto pretio convenienti. Prius enim cum ſit ſpecies quædam militaris cujusdam exactionis, apud amicos locum non habet. De Mendoza Hiſpanorum Duce, qui bello Belgico Hiſpanico ann. 1598. Circu-

lum Weſtphalicum, ſolum pacatum, hoſtili furore ſub amici nomine invaſit, autor eſt *Thuanus*, quod *datis ad Monaſterienſis diœceſis oppida literis minacibus, commeatum, pecuniam & bellicum apparatum imperaverit: quod tamen facere recuſarunt.* Verum cum ex belli jure tale proficiſcatur imperium, ceu cum vi conjunctum, adverſus eos non exerceri debet, in quos nullum jus bellicum eſſe conſtat. Aliter cenſendum, ſi quis ex fœdere ad id præſtandum tenetur, uti in bello Romanorum cum Antiocho, Philippus Macedo ſocius populi Romani, Scipionem per Macedoniam Thraciamque ad Helleſpontum deduxit, *præbens hoſpitia, jam ante extructis pontibus, & annona præparata*, ſcriptore *Appiano* (o); cui etiam hoc nomine debita Romanis pecunia fuit remiſſa, quod eum ſic obſequentem Conſul inveniſſet. Poſterius vero quod attinet, quod ſe ſoluto pretio à loco pacato talia petere liceat, ex jure commercii quod belligeranti cum pacato ſalvum manet, etſi cum aliis bellum gerat, probari poteſt. Nec tenetur pacatus talia bellanti petenti denegare, modo alteri belligeranti eadem concedantur, ſecundum ea quæ diſputat *Hugo Grotius* (p). Unde Veneti, cum Galli cum iisdem expoſtularent apud *Guicciardinum* (q), *quod emtus Venetiis commeatus & pulvis tormentarius, ſuis hoſtibus advectus eſſet*, reſponderunt, *in ſua civitate nemini unquam interdictum eſſe negotiari, & factum illud privatos mercatores habere.*

(o) *de Bell. Syr.* f. 100.

(p) *de J. B. P.* III. 17. 3.

(q) *l.* 5.

§ 14. Ex eadem ratione etiam non licet in pacata ditione, territorii domino refragante, hyberna

berna capere, vel in eodem alere exercitum. De Hiſpanis autor eſt *Meteranus* (*r*), quod, quo promtiores Flandros & Brabantos redderent ad cætera onera belli Belgici ferenda, per Clivenſem, Juliacenſem, aliisque circuli Weſtphalici provincias in hyberna diſtributum iverint ſuas copias. Verum uti præceptum juris naturalis de *abſtinentia alieni*, ex alieno vivere prohibet; ſic eidem repugnat aliorum damno, ſuis parcere ſubditis. *Detrahere*, inquit *Cicero* (*s*), *aliquid alteri, & hominis incommodo hominem ſuum augere commodum, magis eſt contra naturam, quam mors, quam paupertas, quam dolor, quam cætera, quæ poſſunt aut corpori accedere, aut rebus externis.* Addit nonnullis interjectis: *Rationi, quæ eſt lex divina & humana, parere qui velit, nunquam committet, ut alienum appetat, & id, quod alteri detraxerit, ſibi aſſumat.* Unde & flagrante ſuperiori bello, in Provinciis Confœderati Belgii an. 1672. primum exorto, *Projectum faciendæ vel ſtabiliendæ Neutralitatis inter ſacras Cæſaream & Chriſtianiſſimi Regis Majeſtates, quoad Circulum Suevicum, eique partim adjacentes, & partim immixtas terras Auſtriacas, nec non Alſatiam & alias conterminas Provincias, à Sereniſſimo Electore Bavariæ factum*, utramque Majeſtatem promittentem introducit (*t*), quod dictæ Neutralitate comprehenſæ terræ, *nullis hoſtilibus irruptionibus, invaſionibus, copiarum tranſitu, hybernis, ſtativis, contributionibus, militaribus exactionibus, aut aliis quibuscunque actionibus, aut incommodis moleſtari aut gravari, ſed in tranquillo & quieto ſtatu omnia relinqui debeant.*

(*r*) Rer. Belg. l. 19. f. m. 1097.

(*s*) 3. Offic.

(*t*) Diar. Europ. P. 40. append. p. 264. ſq.

§. 15. Cæ-

§. 15. Cæterum quid in ipſum hoſtem in pacatum territorium ſe recipientem liceat, diſtinctius disquirendum. Contingit enim, ut ſecuritatis gratia in locum pacatum jam transferantur res & bona noſtra, jam ut homines ab imminente hoſte, quod in locis parum munitis habitant, ſibi timentes, ſecuritatem quærant in vicinia quieta, ibique recipi petant cum ſuis bonis, quæ moveri poſſunt; jam ut copiæ & milites noſtri, juſti etiam exercitus, ſolum pacatum ingrediantur, vel accepta clade eo fugiant. In iſto & illo caſu, uti naturalis ratio ſuadet, ſi domi nobis & rebus noſtris ſalvis non eſſe liceat, ſecuriora apud amicos quærere loca, niſi ob rationes Reipublicæ à ſuperiori prohibeamur imperio; ita pacatus omni jure hoſpitalitatis & humanitatis officia recipi petentibus præſtabit, cum per alterius bellum ipſius amici, à quo in ejus territorio ſecuritatem quærant, eſſe non deſinant. Ὁ γὰρ ἀγαθὸς φίλος γενόμενος ἀγαθὸν γίνεται ᾧ φίλος, *Vir bonus amicus alicui factus, ei ipſi, cui amicus eſt, bonum eſt,* ait *Ariſtoteles* (u). Expreſſius *Apulejus* (x), *hoc amicitiæ*, inquit, *commodo provenit, cum amicus eum quem diligit, pariter ac ſe cupit rebus proſperis potiri.* Protectio & ſecuritas quam amicus amico in ſua domo præſtat, uti non tollit jura belligerantis extra terras pacati, ita nec per eadem hujus jura & fœdera cum ejus hoſtibus tolluntur, quo minus ex jure hoſpitalitatis debitam ſecuritatem amico exhibeat. Minus dubii res habet, ſi quis in loco pacato *jure aperturæ*, quod ſic vocant, gaudet, ceu conſtat ex formula conventionis qua tale jus obtinetur, apud

(u) 8. *Ethic.* c.
(x) *l.* 2. *de dogm. Platon.*

Beſol-

Beſoldum (y), de quo prolixius JCti. Sequitur hinc, quod bellum gerenti non liceat talium, qui in loco pacato humanitatis & amicitiæ juribus atque beneficiis fruuntur, hoſtes licet ſint, ſecuritatem ibi turbare, ne turbentur jura pacati, quæ in loco proprio juribus exteri ſunt potiora. Victo vero an fugiendo in locum pacatum ſe recipere permiſſum ſit, & domino ſoli iſtius eundem admittere liceat, quando quæritur, non ad Turcarum, Barbarorum, quibus gentium jura parum curæ ſunt, exemplum provocabimus, qui noviſſimis Hungariæ motibus, Hungaros *male contentos* intra ſuos tam Hungariæ quam Tranſylvaniæ fines receperunt, cum à Cæſaris milite victi fuga ſalutem quærerent, invito Leopoldo Imp. & contra leges induciarum (z), pacto Vaſvarienſi an. 1664. initarum, quas *Londorpius* (a) exhibet. Digna eſt quæ hoc nomine legatur deliberatio ann. 1675. Conſtantinopoli inſtituta, cum Malecontenti hi Ottomanicam protectionem contra Regem ſuum à Mahomete IV. petiiſſent, tradita *Ricautio* (b). Cum enim Mufti per inducias cum Leopoldo Cæſ. id non licere exciperet, regeſſit Prædicator aulicus, *qu'on devoit accorder aux Deputez* illorum *ce qu'ils venoient demander, & qu'enfin ſi le grand Seigneur refuſoit ſa protection a des Princes oppreſſez, on ne pourroit plus appeller la Cour Ottomane, le refuges des affligez.* Verum ſuaſoria potius, quam juſtifica eſt ratio hæc, quæ nec neutras partes belligerantium, ſed malecontentorum tantum ſequi jubet, nec utrique parti eadem & æqualia præſtat in cauſa ad Portam Ottomanicam non ſpectante. Ne dicam

(y) *Beſ. Tract.* voc. Oeffnung.

(z) *Art. 5.*

(a) *Act. Publ.* P. 9. c. 36. f. 309.

(b) *In hiſt. des trois derniers Empereurs des Turcs* t. 2. p. 342.

Cæſari rem fuiſſe cum ſubditis, quos exteros, *ne in cauſa dubia* (c), adverſus ſuos imperantes ſuſcipere & fovere decet, prolixius hoc aſſerentibus Corinthiis contra Corcyræos, ſuos quondam colonos, apud *Thucydidem* (d). Καί τι δίκαιοί γ' ἐστὲ μάλιστα μὲν ἐκποδὼν στῆναι ἀμφοτέροις. καὶ τὸν νόμον μὴ καθ' στάναι ὥστε τοὺς ἑτέρων ἀφισταμένους δέχεσθαι, *juſte feceritis præcipue, ſi non fueritis in partibus; neque legem ferre debetis eos, qui ab altera parte defecerunt, receptandi*, dicunt (e) ad Athenienſes. Fugientes ergo copias, atque pulſos exercitus, pacato in ſecuritatem contra alterum belligerantem ſuſcipere non licet, niſi ſuperior & univerſalior aliqua id permittat ratio, vel alteri in pari caſu idem præſtare velit; quod tamen non facile præſumendum. Alia ratio eſt, ſi vel inſcio & invito territorii domino ſe recipiant in pacatum victi, commiſſo ad finis utriusque ditionis certamine; vel ſi ſinguli diſperſi ſalutem quietum locum petentes quærunt, ex neceſſitate magis, & ita ferente loci opportunitate, quam ex voluntatis libertate.

§. 16. Cæterum fugientes in territorium pacatum, an in eo perſequi & occidere liceat, diſquirit ex *Grotio* (f) *Zouchæus* (g), illiusque ſuam facit diſciplinam. Nimirum *hoſtis qui eſt, ubique ſecundum jus gentium impeti poteſt, atque interfici, in ſolo hoſtili, in ſolo nullius, in mari. In territorio autem pacato quod hoſtes interficere aut violare non licet, id jus non ex ipſorum venit perſona, ſed ex jure ejus qui ibi imperium habet, cum civiles ſocietates conſtituere potuerint, in eos qui in aliquo ſunt terri-*

(c) *Grot. J.B.P. 2.25.8.*

(d) *l.1.ſ.m.14 ſq.*

(e) *l.c.ſ.15.*

(f) *J.B.P. III. 4.8.*

(g) *Jur. Fec. P. II. Sect. 9. q.3. p. 299.*

torio nihil per vim agi, niſi tentato judicio. Diſtinctio enim territoriorum infert diverſitatem poteſtatis, cuilibet territorio propriæ, quam quemlibet territorium iſtud ingreſſum ſequi oportet tamdiu, ita præcipiente ordine vitæ ſocialis, donec de mente poteſtatis civilis aliud conſtet, vel pacto & conceſſione peculiari ſui juris uſus obtineatur. *Etiam relaxandum*, inquit *Albericus Gentilis* (*h*), *delinquentem, qui capiatur in alieno territorio, etſi principium fugiendi fuit in permiſſo, quoniam in fine jam ſit diverſa ratio,* tradunt *Baldus, Romanus, Alexander, Jaſon, Cagnolus:* ob defectum ſc. poteſtatis capiendi. Unde alibi idem, *neque movet*, ait (*i*), *quod aut principium fugæ factum ſit, ubi licebat capere: nam mutato territorio mutatur poteſtas.* Incipit enim jus imperii alterius. Subſcribit *Bodinus* (*k*), monens illum, *quem hoſtes perſequuntur, non fieri hoſtium, ſed illius captivum, in cujus fines ſe recepit.* Rationem autem *Grotii*, quod *ubi judicia vigent, ibi ceſſet jus promiſcuum nocendi, quod inter hoſtes introductum dicimus*, non probat *B. Zieglerus* (*l*), quod *fieri poſſit, ut vel ipſa reſpublica in territorio ſuo cognitionem renuat, vel etiam partes belligerantes ejus cognitioni ſe ſubjicere nolint.* Et recte quidem. Quid enim ſi illi, quorum ditiones uterque exercitus ingreditur, tentato ab ingreſſis judicio, exemplo Maſſilienſium apud *Julium Cæſarem* (*m*), reſpondeant: *Neque ſui judicii, neque ſuarum eſſe virium diſcernere, utra pars juſtiorem habeat cauſam:* Jacobus certe M. Britanniæ Rex apud *Meteranum* (*n*), inſtante Reges Hiſpani legato, ne Schonvallium

(*h*) *Advoc. Hiſp.* l. 1. c. 5. p. m. 18.

(*i*) *de Jur. bell.* l. 2. c. 12. p. 436.

(*k*) *de Rep.* l. 6. n. 68. p. m. 107.

(*l*) *Not. in Grot.* 3. 4. 8.

(*m*) 1. *de Bell. Civ.*

(*n*) *Rer. Belg.* l. 24 f. m. 270.

pro

pro legato Reipublicæ Belgij Confœderati agnoſceret, quod illi à quibus eſſet miſſus à Rege ſuo defeciſſent, reſpondit, *ſuum de Ordinum unitorum ſeu bene, ſeu ſi quod tale foret, male facto, non eſſe judicare*: Num permiſſum erit belligerantibus in ſolo pacato actiones hoſtiles adverſus ſe invicem exercere? Multum ſane hoc facto juribus imperij pacati decedere, dubium non eſt. Cum itaque in territorio externo non niſi ejus loci imperium vigere debeat, belligerantium jura imperii tunc quieſcant neceſſe eſt. Ne dicam, ipſum *Grotium* (o) aſſerere, *inter duos populos de jure belli pronunciare velle, periculoſum eſſe*. Idem reponendum *Feldeno* (p), cenſenti, *in territory pacato ceſſare bella, quia per magiſtratum fieri poteſt executio?* Quid enim ſi magiſtratus ex cauſis juſtis nolit. Quare cum jus imperii illius loci in quo degimus, à quovis, imo & ab extera gente reverenter haberi debeat, recte dicitur, juris gentium eſſe, ne in pacato vel aggrediamur, vel in illud eo quo dictum eſt modo fugientes perſequamur, vel occidamus hoſtes.

(o) *J. B. P. III. 4. 4.*

(p) *Not. in Grot. de J. B. 3. 4. 8 p. 451.*

§ 17. Reſpondet huic aſſerto etiam gentium praxis. Loci hujus eſt exemplum *à Grotio* (q) & aliis ex *Livio* (r) adductum, de quinqueremibus Romanorum, Syphacis portum petentibus, in quo jam triremes Pœnorum, paulo ante eo delatæ ſteterant. Potuiſſent illæ ab his *ceu pluribus opprimi priusquam portum intrarent*. Verum cum *percuſſa ex alto vela vento paulo atrociori, prius in portum intuliſſent quinqueremes, quam Puni anchoras molirentur: non ultra tumultum agere quis quidquam in regio portu auſus fuit*. Noſtro quidem ſeculo in Dunis Britannicis

(q) *l. c. III. 4. 8.*

(r) *l. 27.*

nicis Trompius, Claſſis Batavicæ Præfectus, Hiſpanorum claſſem aggreſſus eſt, ſed pugnæ cauſam & occaſionem dediſſe Hiſpanos, Batavi exceperunt. Et cum flagrante atroci inter Belgas Confœderatos & Anglos bello, anno 1665. Britanni Batavorum naves Indicas, opulentia illarum invitati, in portu Norvagiæ Bergenſi aggreſſi eſſent, licet non absque clade, non ſolum *Oroſius Annilo* (s) contra gentium jus id factum fuiſſe, his contendit verbis: *Eſt*, inquiens, *conſuetudo recepta etiam gentibus, & quæ ad naturæ leges nulla propius accedit, ſacra habere portuum aſyla, & tutiſſimam illam pelagi & travectionum ſecuritatem. Hanc tolle, ſuſtuleris commercia, ſuſtuleris fidem publicam, quæ velut communione quadam gentes inter ſe devincit:* Sed & ipſi Angli *gentium jus violari conceſſerunt*, ſi citra conſenſum Domini portus, in eundem, adverſus hoſtes ibi ſecuritatem expectantes, hoſtilis impetus fiat, in *Deductione* quæ legitur in *Diario Europæo* (t). Dicunt enim, daß Seine Majeſt. von Groß-Britannien ſich befahren müſſen/daß man ſie für einen Schänder des Rechtens aller Völcker achten würde/ dieweil ſie Dero Flotte in eines Alliirten und Bunds-Verwandten Haffen geſchickt/ daß ſie daſelbſt deſſelben Alliirten ſeiner Freunde Schiffe feindlich ſolten tractiren. Addiderunt itaque, ex conſenſu Regis Daniæ, Frideric III. id eſſe factum. Autor etiam eſt *Bodinus* (u), *ſic judicatum eſſe ab illis, qui à Regibus Gallorum & Hiſpanorum ad pacis actiones convenerant ann.* 1555. *cum Hiſpani quidam metus exercitus Gallicani in fines imperij Anglici evaſiſſent, capti*

(s) *In Diſſert. de bell. Dano Angl. in Diar. Europ. P. XVI. Append. p. 274.*

(t) *P. XIV. Append. IV. p. 63.*

(u) *l. de Rep. c. 6.*

D *nihil-*

nihilominus & abducti à Gallis eſſent ; nimirum ſi quem hoſtes perſequantur, non fieri hoſtium, ſed illius captivum, in cujus fines ſe recepit : Notatque *Albericus Gentilis* (x), ſimile ſe vidiſſe exemplum in *Hiſpanis itidem fugientibus à claſſe Anglica hoſtica in litus Gallicum. Neque enim*, inquit, *permiſſi Anglis ſunt Hiſpani.* Non minus Hagæ queſtos refert *Meteranus* (y) delegatos Conventus Ordinum Rhenani & & Saxonici tractus, ſcripto exhibito, quod Ordinum Unitorum copiæ militares *ſuos hoſtes in ſolo Imperiali*, & ſic in ditione pacata, *perſequantur* ; excuſantibus factum potius, quam probantibus, & in Hiſpanos culpam rejicientibus Belgis fœderatis. *Quid*, inquiunt apud *Thuanum* (z), *mirum, ſi Hiſpanorum & iis factione conjunctorum conſilys graſſante paſſim per Belgium armorum incendio, ſcintillulæ quædam in proxima tecta evolent.* Singuli quoque, infenſiſſimi licet alias fuerint hoſtes, quod in ſolo pacato pacate vixerint omiſſa omni hoſtili inimicitia, Aſdrubalis Pœni & Scipionis Romani, hoſtium exemplo patet, qui *apud Syphacem*, Numidarum regulum, *Livio* (a) memorante, *non ſolum ſimul cœnarunt, ſed eodem etiam lecto, quia ita cordi erat regi, accubuerunt*, flagrante interea bello Punico ſecundo.

(x) de J. B. II. 22. p. 436.

(y) Rer. Belg. l. 16. f. m. 867.

(z) l. 100. f. 111.

(a) l. c.

§. 19. Habet vero hæc noſtra aſſertio duplicem exceptionem. Nimirum etſi hoſtem in ſolo pacato aggredi, vel interficere non liceat, intelligi tamen hoc debet, quando ſc. & quamdiu ex loco pacato is hoſtilia non committit, nec in eo talia molitur: Deſinit enim tunc locus eſſe pacatus. Delere hinc à Batavis in Dunis Britannicis claſſis Hiſpanicæ

nicæ culpam in ipſos transfert Hiſpanos *Barlæus* (*b*), qui *poſtquam caviſſet Trompius, ne mandato, & obtento Britannici Regis in iſtam ſtationem juri, temere ſui contravenirent, priores Belgas impetierant*, uno ex illis cæſo, *emiſſo in vela celocis Trompianæ globo*, ut refert ex *Sandy Continuatore B. Bæclerus* (*c*): quanquam *Abrahamus à VVervver* (*d*), diligenter licet enarrarit ea quæ ad hiſtoriam prælii hujus navalis pertinent, de iſto Hiſpanorum facto hoſtili nullam fecerit mentionem. Accidit interim, ut obiter hoc interſeramus, tunc Anglis, quod ſæpius illis qui neutras in bello ſequuntur partes accidere ſolet, ut apud belligerantes exiguam ineant gratiam. Uti enim à Batavis nimii erga Hiſpanos ſtudii, & patrocinii, quod in Dunas eos recepiſſent, accuſabantur; ita *Bateo* (*e*) notante, Hiſpanus *criminatus eſt, quod à Belgis naves ſuæ, cum in portus Anglicanos eſſent compulſæ, ſub ſociali caſtello, lacerata, demerſæ, incenſæ aut captæ fuerint, claſſe Anglica minaciter increpante magis, quam valide ſubmovente: irasq; has*, Cromvvelio in Anglia tyrannidem exercente, *Filio Regis*, Carolo II. *nocuiſſe* opinatur. Talem vero quietem, ne is qui in pacato agit territorio, in hoſtem hoſtilia committat ex illis terris, loci dominus vi imperii, ejusque jure, præcipere poteſt. Hinc flagrante inter Ordines Belgij Confœderati & Epiſcopo Monaſterienſi bello, ann. 1666. noluit Elector Brandenburgicus ab Ordinibus hoſtiles actiones proficiſci in Monaſterienſes, & illorum Provincias, ex ſuis urbibus Cliviæ, quas ſuis præſidiis Belgæ tunc tenebant, annuente Epiſcopo, qui literis Meppena ad

(*b* Paneg. de vict. Hiſp. Claſſ.

(*c*) Diſſert. Grot. V. p. 212.

(*d* Relat. de præl. nav. inter Tromp. & Oquend.

(*e*) Elench. mot. in Angl. P. II. p. 82.

Electorem datis, ſe ante jam ſuis id præcepiſſe, ne in terram pacatam, Electorales ſc. Provincias, in quibus hoſtium præſidia eſſent, hoſtilia committerent (f). Id cum Hiſpani bellis Belgicis pacata Germaniæ loca occupantes negligerent, & ex locis occupatis Belgas oppugnarent, vim vi repulſuri Ordines & ipſi easdem ingreſſi ſunt terras, receptis iſtis ab hoſtibus locis.

(f) *Diar. Europ. P. XVI. p. 72.*

§. 20. Alteram exceptionem aggrediendi hoſtes in ſolo pacato reddit *conceſſio*, à territorii Domino facta, uti Angli, ſe conſentiente Daniæ Rege in portu Norvagiæ Bergenſi Batavorum naves aggreſſos eſſe, præ ſe tulerunt. Negavit vero id *Oroſius Annilo* (g), *Anglosque apud Regem iteratis precibus fruſtra in portum irruendi ſollicitantes, comitatem Regis Friderici, qua hoſtium aſperitatem lenire volebat, ſuam licentiam eſſe interpretatos*, contendit. Ipſam vero quod attinet exceptionem, & indagatam quæſtionem, negamus concedere poſſe, vel debere, ſi vires impediendi habet, territorii pacati dominum, hoc nomine compellatum, ut in ſuis ditionibus pacatis quiete agentem hoſtis adoriatur, & tanquam hoſtem tractet. *Froſſardus* (h) autor eſt, quod *in portu quodam Britonum Angli aliquando exuſſerint ſeptem Hiſpanorum naves inſigniter magnas, & quod illico nata fuerit ſuſpicio, factum id Britoniæ Ducis autoritate, conſilioque.* Ita nimirum conceſſio ejusmodi ſpeciem præbet proditionis alicujus, atque initæ cum hoſte adverſus hoſpites receptos conſpirationis. Jura ſane hoſpitalitatis, quæ receptus in ſolo pacato à recipiente expectat, eundem in cer-

(g) *Diſſ. de bell. Dano-Angl.*

(h) *Hiſt. l. 1. p. m. 98.*

in certiori collocant ſecuritate. Πρὸς δ' αὐτὺς ξένυς, διανοητέον ὡς ἁγιώτατα ξυμβόλαια ὄντα, *ad peregrinos* [illegible] *ſanctiſſima fœdera eſſe quisque cogitet*, monente *Platone* (*i*). Ne dicam factum hoc eſſe contra fidem publicam, implicite certe, ſi non expreſſe datam, ſub qua tales veniunt, pacti ſecuritatem. Intuens hæc Portugalliæ Rex, cum Anglorum Thalaſſiarcha Blackius Palatinos Principes, Rupertum & Mauritium, Ulyſſiponam ex Hibernia delatos, quod caſtra Caroli I. ſecuti, terra marique Parlamentarios vexarant, in prælium poſtulaſſet, *hoſpitalitatis leges*, ſcriptore *Bateo* (*k*), *non ita violandas ratus, quoniam intutum foret palam abnuere, tergiverſando excuſavit, Principesque portu expellere detrectavit*; qui mox ipſi inde elapſi ſunt, ne majora pericula patrono crearent. Singulari hinc cura ſecuritati cum adventantium, tum abeuntium diverſarum partium na[t]ium conſuluit Jacob. M. Britanniæ Rex, in *Edicto contra piratas*, quod exhibet *Enſius* (*l*). Idem de rebus capti[s] in ſolo pacato ſtatuendum, quæ capientium hoſtium non fiunt, quibus alienum territorium præſtat ſecuritatem (*m*).

(*i*) *5. de LI. f.*

(*k*) *Elench. mot. Angl. P. II. p. 86.*

(*l*) *Annal. tom. V. l. 3. p. 329.*

(*m*) *Alber. Gentil. J. B. l. 2. c. 22 p. 436.*

§. 21. Quæritur præterea, an liceat prædam in ſolo pacato capientibus diſpertiri, vel vendere, ſi ex hoſtico, in quo acquiſita belli jure fuit, eo veniunt. *Autor* der Anweiſſungen der heilſamen Politiſchen Gründe und Maximen der Republiquen Holland und Weſt Frießland / (*n*) refert, quod cum bello inter Danos & Oſtlandicas civitates an. 1510. exorto, Oſtlandici Batavorum naves, quibus commercio cum Danis, apud quos iidem inſignibus *privilegiis*

(*n*) *Part. II. c. I. p. 135.*

(o) *Apolog. pro navigat. Holland.*

vilegys & immunitatibus, *Boxhornio* (*o*) explicatis, gaudebant, interdixerant, ob contemtum hujus interdicti captas, bonaque in illis inventa, in Flandrorum & Zelandorum Emporiis vendere vellent, non ſolum priores domini, quibus iſtæ naves ereptæ fuerant, ſua bona repetierint, ſed & iisdem ab Admiralitate, *ceu præda injuſta*, reſtituta fuerint. Addit tamen *Autor*, ex *gratia potius*, *quam ex jure id videri factum*. Similiter cum *Meterano* (*p*) ſcriptore, navem Hiſpanicam Braſiliam petentem Batavus quidam, qui in confinio portus Ulyſſiponenſis eam ceperat, in Dunas Britannicas, ſtationem iſto tempore pacatam, duxiſſet, receptam à Batavo non ſolum Præfecti maris Anglorum Vicarius Londinum miſit, ſed & Hiſpani Regis Orator in aula Britannica, *ſubditorum Regis ſui bona, quod in ſolo amici Principis ea inveniret, ſibi reſtitui* poſtulavit; cui etiam, fruſtra contendente Belga, quod *in hoſtico ab hoſte iſtam prædam recepiſſet*, adjudicata ſunt, cum prius exiguam pecuniæ ſummam depoſuiſſet legatus; ægre id ferentibus Ordinibus Confœderatis, navemque cum bonis, ceu contra jus belli civi ſuo ereptam, reddi poſtulantibus, *pro conſuetudine inter Reges etiam recepta*: in caſſum licet. Defendit etiam Hiſpanorum in Anglia Advocatus, quo uſus fuit ad cauſas ſubditorum Regis ſui agenda (*q*) Legatus Regis Catholici, Petrus de Zunica, *Albericus Gentilis* (*r*), uti ipſe loquitur, *audenter, quod res hoſti capta non prius ei quæreretur, quam & intra ejusdem præſidia perducta eſſet, quamvis ea diu poſſeſſa eſſet, per duos amplius menſes in mari habita.* Et ſub finem diſqui-

(p) *Rer. Belg. l.* 15. *f.* 320.

(q) *Scipio Gentil. præf. Ad Voc. Hiſp. A. G. præmiß.*

(r) *Advoc. Hiſp. P. I. c.* 2.

diſquiſitionis pro Hiſpanis, contra Hollandos ita concludit: *Res nondum ductæ ad locum veriſimiliter tutum, non ſunt adhuc capientium; nec perditum eſt earum dominium*, atque ut alibi (*s*) loquitur, *quæſitæ hoſti non cenſentur.* Explicat ſimul his verbis, quid intelligat per *præſidia:* Non præciſe ſc. *locum intra fines*, cum & *caſtra in finibus hoſtium poſita*, etiam *hoſtium claſſis vagans*, præſidia illi vocentur: Maluit itaque pro præſidiis ſubſtituere *locum veriſimiliter tutum.* Verum enimvero facto huic Anglorum non ſolum contradixerunt Ordines Belgii confœderati, qui juri belli id contrariari contenderunt, verum etiam tam res, quam homines bello captos in ſolo pacato venditos, ex hiſtoriis etiam antiquis conſtat. Sic ipſe *Homerus* (*t*) Lycaonem Priami filium ab Achille captum, in inſula Lemno, loco pacato, divenditum ſcripſit. Quanquam autem ipſe etiam *Grotius* (*u*) ſcripſerit, placuiſſe Gentibus, *ut cepiſſe rem is intelligatur, qui ita detinet, ut recuperandi ſpem probabiliter alter amiſerit*, ita ut *in mobilibus capta dicantur, ubi intra fines, id eſt præſidia hoſtium perducta fuerint, cenſeanturque in mari naves & res aliæ captæ tum demum, cum in navalia aut portus, aut ad eum locum ubi ſe tota claſſis tenet, perductæ ſunt*; quam ipſam *Gentilis* diſciplinam eſſe modo vidimus; gentium tamen eſſe jus id hodie deſiiſſe addit, cum *recentiore jure gentium inter Europæos populos introductum viderit, ut talia capta cenſeantur, ubi per horas viginti quatuor in poteſtate hoſtium fuerint.* Verum an hæc ſatisfaciant *Gentili*, merito dubitatur, cum nonnullorum populorum praxis

(*s*) l. c. c. 4.

(*t*) *Iliad. l.* 21. *v.* 40.

(*u*) *J. B. P. III.* 6. 3.

Praxis gentium jus proprie tale non ſit, quod Anglos, vel alias gentes, quæ morem hunc non receperunt, obliget. Et quæſo, quale hoc eſt gentium jus, quod publico Ordinum Edicto non obſervatum, imo *immutatum & abrogatum* mox fuit, ceu patet ex illis quæ *Grænevvegen* (*x*) notavit. Quæ vero de *perductione intra præſidia hoſtium* dicta ſunt, rectius nobis à *Zieglero* (*y*) ad jus Romanum, quam jus gentium pertinere cenſentur. Sane ex quo aliquid captum eſt, capienti in rem captam jus eſt quæſitum naturaliter, quo pacatus citra partium ſtudium, capientem in gratiam alterius non privabit, ceu quod is jure belli, & ſic legitime obtinuit: Prohibere licet poſſit, cum & alter ſibi adhuc ſuum jus ſupereſſe dicat in res ſuas ab hoſte captas, ne hæ in ſuo territorio divendantur, diſtrahantur, aut publice in eodem dividantur, ut feciſſe conſtat Jacob. I. Britanniæ Regem, Edicto ſupra ex *Enſio producto* (*z*) *omnibus & ſingulis ſubditis, yis præſertim qui maritima incolunt oppida, mandando atque ſerio injungendo, ut ne ulla bona à privatis, aut yis qui mercaturam non exercent, coemant, diſtrahant, aut divendant.* Quanquam vero hæc ita ſint, non tamen repugnat, pacto ſic inter gentes conſtitui, ut ubi res & homines bello capti, in fœderatorum ſuorum, portus & urbes deducentur, territorii iſtius pacati dominus illos in libertatem aſſerendi jus habeat, etſi eaſdem cum illis partes non ſequatur, ſed amicus ſit & capientis & captorum, uti fœdere ſecundo Romanos & Carthaginienſes inter ſe conveniſſe, autor eſt *Polybius* (*a*). Formula ita habuit: Ἐάν δὲ τινες Καρχηδονίων λάβωσι τινας πρὸς οὓς εἰρήνη μὲν

(*x*) *de LL. abrogat. ad l. 2. dig. de captiv. p. 301.*

(*y*) *Not. in Grot. III. 6. 3.*

(*z*) *Annal. t. IV. l. 3. p. 329.*

(*a*) *l. 3. hiſt. c. 23.*

ἐςὶ ἔγγραπτος Ῥωμαίοις, μὴ ὑποτάττωνται δέ τι αὐτοῖς, μὴ καταγαγέτωσαν εἰς τοὺς Ῥωμαίων λιμένας. Ἐὰν δὲ καταχθέντος ἐπιλάβηται ὁ Ῥωμαῖος, ἀφείσθω· ὡσαύτως δὲ μηδ' οἱ Ῥωμαῖοι ποιείτωσαν, *Si qui Carthaginienſium aliquos ceperint, queis cum fœdere ſcripto juncti ſint Romani: qui tamen ſub Romanorum imperio non erunt, hos in populi Romani portus ne deducunto : ſi quis erit deductus, & manus Romanus injecerit, liber eſto. Eodem jure & Romani tenentor.* Aliam interim extra pactum videri queat eſſe rationem hoſtium bello captorum, quam rerum, quos non impetrata venia, per territorium pacatum ducere licere, quidem non exiſtimamus cum *Alberic. Gentil.* (b) & *Zouchæo* (c), cum ſit actus violentus, quem citra permiſſionem jurisdictionis pacatæ exercere non liceat; hujus enim eſt in vinculis tenere: Attamen cum iſta violentia, hoſtem nimirum captum tenere, gentium jure permiſſa ſit, nec in præjudicium jurisdictionis, dicto caſu revera cedat; homines captos cum rebus captis hactenus pari jure in territorio pacati ambulare exiſtimamus. An vero in vindictam contemtæ jurisdictionis, ob non quæſitam tranſitus licentiam, capta amittere poſſint tranſeuntes, non ita liberaliter pronunciandum.

(b) *Advoc. Hiſp.* P. I. c 6.

(c) *Jur. Fec.* P. II. p. 300 ſq.

§. 22. Illuſtris præ cæteris in hoc capite, quod tractamus, eſt quæſtio, an, ut *Grotius* (d) loquitur, *liceat ei, qui bellum pium gerit, locum occupare, qui ſitus ſit in ſolo pacato.* Affirmat *Grotius* : Nimirum *ſi non imaginarium, ſed certum ſit periculum, ne hoſtis eum locum invadat, & inde irreparabilia damna det : Deinde ſi nihil ſumatur, quod non ad cautionem ſit neceſſarium, puta nuda loci cuſtodia, relicta domino vero jurisdictione & fructibus : Poſtremo ſi id*

(d) J. B. P. II. 2, 10.

fiat

ſiat animo reddendæ cuſtodia, ſimulatq; neceſsitas illa
(e) III de J.B.P.c. 17.1. *ceſſaverit.* Quæ alibi repetendo ulterius explicat(e).
Superiorum vero temporum hiſtoriæ, belli inprimis Hiſpano Belgici, ſatis docent, cur hæc ita diſputaverit, patetque ex *Dinotho, Meterano, Thuano,* & aliis. Et cum in quæſtione, quam doctiſſime diſcuſſit Diſſertatio *Viri Illuſtris,* Dn. OBRECHTI, *de ratione belli* (f), prolixi eſſe nolimus, eandem negandam eſſe
(f) c. 3. §. 14. ſq.
cenſemus, quod contrarii commiſſio peccet in legem naturalem de *non contrectando alieno, invito rei domino.* Præceptum hoc uti in ipſa juſtitia immutabili, quæ unicuique ſuum tribuendum eſſe docet, ne quis minus ſuo habeat, etiam quoad liberum & non impeditum jurium & rerum ſuarum uſum atque moderamen, fundatur, & cauſa eſt juſtæ & pacatæ, & ſic etiam à juſtis iniqua patientium querelis liberæ conſociationis; ita abſolute loquendo repugnat eidem, ſi invito territorii domino, & ſua jura, illorumque non impediendum ab ullo uſum liberum, juſtus modo ſit, contra prætendente, locus in ſolo pacato ſitus occupetur, & ad alios menti poſſeſſoris contrarios uſus adhibeatur, eodem inde exturbato. Non ſolum *detrahere aliquid alteri, ſed & hominem hominis incommodo ſuum augere commodum, tollit convictum humanum & ſocietatem. Si enim ſic erimus affecti, ut propter ſuum quisque emolumentum ſpoliet,* AUT VIOLET *alterum, diſrumpi neceſſe eſt eam, quæ maxime eſt ſecundum naturam humani generis ſocietatem,* mo-
(g) 3. de Offic. c. 5. nente *Cicerone* (g).

§. 23. Exceptiones & limitationes Grotianas quod attinet, *primo* ponitur caſus, quo talis occupatio

tio licita ſit, neceſſitatis veræ, *certumque non imaginarium periculum*, quo dato redire fingitur communio rerum primæva, licitusque rerum alienarum uſus. Verum cum iſtam reviviſcentem primævam communionem ens rationis morale eſſe alibi oſtenderimus, parum illa movemur ad Grotianam diſciplinam admittendam, *Zieglero* (*h*) etiam, *Feldeno* (*i*), *Bæclero* (*k*), *Oſiandro* (*l*), *Puſendorſio* (*m*), & aliis doctis, juſtique rectique ſtudioſis viris, improbatam. Frequenter quidem inter gentes objici audias iſtam neceſſitatem, ejusque rationem Grotio allatam. Sic Ordines Belgii Confœderati in reſponſo dato legatis Ordinum Imperii, de invaſione in ſolum pacatum, facta à copiis Ordinum unitorum, querentium apud *Meteranum* (*n*), excuſando factum prætendunt ſummam neceſſitatem, atque irreparabilia damna ſic evitanda. Albertus etiam Archidux Auſtriæ, Belgicarum Provinciarum Gubernator, cum Clivienſium Princeps Orſoium, ab Hiſpanis captum, literis querimoniarum plenis reſtitui poſtularet, reſpondit apud *Thuanum* (*o*), *nihil ſibi minus in animo fuiſſe, quam ut ditionem alienam invaderet, aut Cliviæ Principi injuriam faceret; ſed neceſſitate belli adverſus rebellantes Belgas ſuſcepti coactum, ad tranſitum Rheni Orſoium occupaſſe.* Facientibus autem hoc impune Hiſpanis, idem præveniendo faciendi ſibi neceſſitatem incumbere, compellati cur ita facerent, exceperunt Ordines fœderati (*p*). Verum huic gentium mori aliud gentium judicium *B. Bæclerus* (*q*) opponit, probante *Puſendorſio* (*r*); quod *ex uſu omnium ſeculorum & populorum conſtet, neminem putare, ſe teneri ad permittendam alteri,*

(h) *Not. in Grot. J. B. II. 2. 10.*
(i) *Not. in Grot. l. c.*
(k) *Com. Grot. P. II p. 62.*
(l) *Annot. in Grot. J. B. II. 2. §. 6 p. 672. ſqq.*
(m) *J. N. G. 2. 6. 8.*
(n) *Rer. Belg. 16 f. 878 ad l. 20. f. 39. l. 21. f. 82.*
(o) *l. 121. f. 813*
(p) *l. c.*
(q) *l. c.*
(r) *l. c.*

Periculum ab hoſte timenti, occupationem loci aut arcis ſuæ, ſi impedire poſſit. Et certe, ſi quod neceſſitas jus facit, ad res alterius ſuæ ſecuritatis cauſa uſurpandas, nonniſi imperfectum eſt, quod vim deneganti, niſi hoſtili animo id faciat colludendo cum hoſte, inferendi non permittat, nec pari paſſu cum jure perfecto ambulet, ſed huic ſemper cedat: Ne dicam, jus domini legitimi ſemper potius eſſe jure extranei. Alter denique cum alterius neceſſitatem vix ſatis & recte intelligat, etiam non ſatis tuto hujus æſtimationem allegare licebit ad ordinem jurium aſſerendum, qui ex aliis naſcitur principiis. Quod ſi tamen alter, ſic inſuperabili ferente neceſſitate, nulla prava libidine, vel corrupto affectu,

(s) *l. c.*
(t) *l. c.*

locum occupaverit, id cum *Bœclero* (s) & *Pufendorfio* (t) *ex iis eſſe dicimus, quibus facilior venia tribui poteſt.* Reliqua Grotiana inſufficientia ſunt ad probandam licentiam occupandi loci in ſolo pacato, quibus me-

(u) *l. c.*

rito addit *Pufendorfius* (u), *domino prius denunciandum, ut ipſe etiam atque etiam locum cuſtodiat, oblatis quoque ad eam ſumtibus; aut ſi malit, inutilem eundem ad præſidia recipienda faciat.* Denique quid de propoſita quæſtione ſecundum mentem *B. Au-*

(x) *tom. 10 opp. f. 15.*

guſtini (x) pronunciandum, docet & hic viri locus: *Non innocens virgis cædendus eſt, ne alius occidadatur.*

§. 24. Patet hinc, teneri occupantem ad reſtituendum locum territorii pacati domino, ubi ille ita fieri voluerit: Pacto enim quid fieri debeat, uti Carol. VIII., Galliæ Rex, cum Neapolim cum exercitu peteret, Florentinis *jurejurando*, *Cominæo* autore

autore (y) *promiſit, redditurum ſe ipſis, quæ accepiſſet oppida, quarto menſe poſt, quam Neapolim veniſſet, aut eo citius, ſi forte ante id tempus in Galliam rediret*; nunc non quæritur. Albertus Auſtriacus quidem compellatus de reſtituendo Orſoio à Clivienſium Principe, apud *Thuan.* (z) reſpondit, *quod neque pro tempore illud reſtituere, nec munitionem ceptam intermittere queat, donec bellum confectum ſit.* Verum ſi unicuique ſuum tribuendum atque reddendum, ſi juſte illud repetit, quod facit medius in bello, æqualiter ſe gerens erga partes, ad has primas & æternas juris regulas etiam belli ratio ſe conformare tenebitur. Ludibrio ſane Mendoza, Arragoniæ Maris Præfectus, olim gentes habuit, cum de fide data, quam male ſervabat, compellatus, *expoſtulationes, Thuano* (a) memorante, *eluſiſſet, rejecta in belli toties in horas variantis neceſſitatem invidia.* Sæpius quoque inter Ordines Imperii, Cæſarem etiam, atque Belgas fœderatos actum fuit, de reſtituendis locis ditionis pacatæ, circuli nimirum Weſtphalici, ann. inprimis 1600. Acta exhibet *Meteranus* (b). Reſponderunt autem inter alia Ordines uniti: *Se loca & oppida ſoli imperialis, non ſtatibus Imperii erepta, ſed ab Hiſpanis recepta, ter territorii dominis reſtituiſſe, ſperare proin quarta vice non futurum, ut urgeantur ad faciendum idem, donec Hiſpani omnia loca in Imperio occupata reſtituerint.* Cui facto & reſponſo plus æquitatis ineſt, quam verbis Albertinis. Reſtituerunt etiam Emericum Principi ſuo, cum Legati Cæſaris fidem interponerent, daturum Imperium apud Albertum, Bel-

(y) Bell. Neap. 2. p. m. 781.

(z) Hiſt. l. 122. f. 813.

(a) l. c. f. 116.

(b) Rer. Belg. l. 21. f. 81. ſqq.

gii Hiſpanici rectorem operam, ut Septemviro Coloniensi reſtituat Berckam ad Rhenum. Suo domino autem reſtituendus eſt locus, ſine ullo damno ipſi vel incolis illato, quem ſic reddere inutilem, ut homines ibi degere & ſe defendere non poſſint, non licet. Aliena enim perdere, in quæ tibi nihil juris, permiſſum non eſt: Nec lædendus eſt amicus, ſive in persona, ſive in rebus & bonis; ſive in juribus quibus gaudet. Reddenda vero loca eſſe his quorum fuerant cum injuſte primo caperentur, non ab illis tantum, qui tum illa occuparunt, ſed & *ab alys, ad quos quoquo modo*, & ſic etiam vi armorum *pervenerunt*, docet *Grotius* (c). *Nemo enim plus juris ad alium transferre poteſt, quam ipſe habuit.* Unde Spartani apud *Xenophont.* (d) victis bello Eleis, vicina oppida quæ bello iſti oppreſſerant, retinere noluerunt, ſed priſtinæ qua gaviſæ fuerant libertati reddiderunt. Ita Camillus cum Sutrium, quod Hetruſci ceperant, inermibus incolis inde ejectis, eodem quo captum fuerat die recepiſſet, *ante noctem yſdem reddidit inviolatum, integrumque ab omni clade belli*, memorante *Livio* (e).

(c) *III. J.B.P. 16.*

(d) *Hiſt. Græc. l. 3. f. 492.*

(e) *l. 6.*

§. 25. Ex rationis paritate, qua concluditur, non licere occupare belligeranti locum, qui ſitus eſt in ſolo pacato, infertur, non ſolum multo minus licere occupatum locum invito territorii domino munire, ſed nec munimenta, quæ perpetuo teneantur præſidio partis extruentis, ædificare contra hoſtes in eodem permiſſum eſſe. Repugnat enim & hoc legi naturali de *abſtinentia alieni*, qua & uſus alienæ rei atque jurium prohibetur. Vis ſane non abs-

que

que gravi injuria infertur moderamini rerum libero, ex proprio arbitrio inſtituendo, quando quis invitus circa rerum ſuarum uſum, quem alius ſibi, ceu dominus foret, arrogat, quæ maxime ſunt moleſta, pati cogitur, ut alterius tantum utilitati inſerviat. Actis hinc, ut alia mittamus exempla, ſuperiore tempore controverſia inter Imperium & Belgium unitum fuit de *munimento Schenckiano*. Deſtrui illud cum vellent Ordinum Imperii legati, ceu in ſolo Imperiali pacato exſtructum, prolixe quare id nec facere poſſint, nec facere teneantur, reſponderunt Fœderati: Negantes in loco pacato à ſe munimentum illud eſſe exſtructum, quod Geldriæ, non Cliviæ illud foret ſolum, & urgentes partim ſilentium Cliviæ Ducis, cum prima ejus ponerentur fundamenta, qui, cum res adhuc foret integra contradicere debuiſſet, partim quod niſi ſumme neceſſariæ & legitimæ defenſionis cauſa ad arcendos hoſtes eſſet ædificatum. Acta prolixe extant apud *Meteranum* (f),

(f) *Rer. Belg. l.* 16. *f.* 870. *l.* 21. *f.* 82.

§. 26. Totam autem controverſiam, atque rationes cauſæ utriusque partis, exhibet *Commentariolus de ſtatu fœderati Belgii* (g): *Exorto inter Hiſpanos & Fœderatos Belgas bello, plurimas Imperii, Clivenſis Ducis, Electorisque Colonienſis Civitates vi armorum aut occupatione ſub ditionem ſuam redegerunt Fœderati, qui & in limitaneo earundem ditionum agro caſtella plurima, aliaque militiæ opera exſtruxerunt. Itaque litigatum eſt, an id liceret, aut æquum eſſet. Illi, quorum civitates, vel agri erant occupati, contendebant I. Amicos ſeſe eſſe Fœderatis Belgis, itaque hoſtilia ſibi aut agro ſuo inferri non oportere: inter certamina Hiſpanorum ac Belgarum ſibi ſaltem beneficium Neutralitatis, quod vocant, deberi. II. Neminis eſſe ſi æquus ſit & bonus, invadere dominium rei alienæ, vacuum tantum fieri occupantium. III. Ex urbibus ſuis occupatis, ſuoq; in agro*

(g) *Cap.* 6.

agro exſtructis arcibus merito ſe ſecuritati ſuæ ac libertati metuere. Hiſpanos quidem priores, ſed nullo jure id tentaſſe, ac proinde haud eſſe Fœderatorum, iniquiſſimum Hiſpanorum inſtitutum imitari. Contra vero Ordines Fœderati pro cauſa ſua acriter contendebant I. Amicos ſe vicinos illos libenter agnoſcere, ſed nec amicitiam lædi, ubi à vicinis innoxium beneficium petitur & reportatur, arcibusq; exſtructis, occupatisq; civitatibus nihil propoſitum ſibi, niſi propriam ſecuritatem, ab omni noxa in vicinos fuiſſe & futuros alienos. II. Agnoſcere ſe quidem Neutralitatis beneficio uti has civitates oportere, ſed aſpectu hoſtium Hiſpanorum, qui eas aut priores invaſerint, aut invadere conſtituant, eaſdem civitates ut hoſtiles invadere ſe ſe atq; occupare. III. Non invadi à ſe dominium rei alienæ, omnia integra manere Dominis, imperium, privilegium, juriſdictionem, & ſi quid ejus generis eſt; præſidio tantum ſuo militari in iis civitatibus ſe facere locum, & facere debere, cum adverſus Hiſpanorum irruptiones, cum præſentiſſimo periculo Fœderatorum eas idoneis & ſuis præſidijs earum Domini tueri vel non poſſint, vel non velint. Itaque non tam eripi eas civitates Dominis, quam jure belli occupantibus, aut occupaturis Hiſpanis. Judicium ex dictis facile, quid de his habendum, formari poteſt.

F I N I S.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA